DISSERTATIO
HISTORICO LEGALIS
De Regimine Civitatis Veliternæ

JOSEPHI DE PROSPERIS

Ejuſdem Civitatis Patritii, & in Curia Romana Advocati.

In tres Partes diviſa.

ROMÆ MDCCXIII.

Typis Joſephi Nicolai de Martiis,
Propè Templum S. Mariæ Pacis.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
REGIMINE
CIVITATIS VELITERNÆ
Diſsertatio Hiſtorico-Legalis.

Pars Prima.

VELITRARUM Civitas vetuſtiſſima, Sicuti Saturnus latuit in Latio, ità in tenebris antiquitatis deliteſcit, ut nemo inter tot priſcos, ac graviſſimos Authores in lucem ſciat ejus remeare originem, non ſecus, ac de Nilo, qui eſt cæteroquin nobile, ac clariſſimum Ægypti Flumen, cecinit Claudianus

Secreto de fonte cadens, qui ſemper inani
Quærendus ratione latet, nec contigit ulli
Hoc vidiſſe caput:

Adeout Blondus Forolivienſis ſermonem faciens

de Regione latina ſic loquitur: *Velitræ Civitas vetuſta, de qua Liv. in lib. 8. in Veliternos veteres Cives, qui toties rebellaſſent graviter ſævitum, & muri dejecti, & Senatus inde abductus, juſſique Transtyberim habitare in agrum Senatorum Coloni miſſi, quibus adſcriptis ſpeciem antiquæ frequentiæ Velitræ receperunt. Eſt ea Civitas tum aliter vetuſtate ſua, tum ratione notiſſima, quod Octavii Cæſaris progenitores inde originem habuere*; qui ſanè Hiſtoricus obiit anno 1435. teſte Tritemio, & quamvis ab aliquibus Hiſtoricis denominetur Oppidum; attamen mos erat antiquus, quod etiam celebres Urbes Oppida promiſcuè appellabantur. Unde *Plav. in Perſ.* cum Eleuſiopolim ſæpiùs Urbem vocaſſet; ſubdit, Eleuſiopolim Perſæ cepere antiquum Oppidum, ſic *Serv. Sulpit. in Epiſt. ad Cicer.* cum numeraſſet multas inſignes Urbes, ſubdit, *quæ Oppida floꝛentiſſima fuerunt*.

Senatus proindè antiquo, modernoque tempore Velitris ſemper fuit, ut refert præcitatus Hiſtoricus, qui non dicitur aſſentator, ſed veridicus, ut eſſet omni ex parte ſimilis Urbi Romæ, cui veluti Dominæ gentium plura per ſæcula bella indixit, tanquàm Volſcorum caput, ut diverſis in locis meminit diſſertè *Livius Roman. hiſtor. lib.* 1. præcipuè cum hiſce verbis: *Volſci qui bellum Romanis ſub Tarquinio Superbo inchoatum per ducen-*

tos

tos annos incredibili pervicacia , & continuis motibus protulerunt, & *Dionyſ. Alicarnaſ. antiquit. Roman. lib.* 8. ita ſcribit : *nec à Volſcis pacata ſunt omnia &c. obſeſſiſque Velitris, & Vallo circumdatis toto agro potitus , Urbem ipſam parabat invadere , ſed cum grandevi Oppidanorum ſupplices progreſſi pollicerentur ſe juxta Regis exiſtimationem illata damna perſoluturos, & ſontes dedituros ad ſupplicium , rebus per inducias reſtitutis, in fœdus eos recepit, & amicitiam*, prætermiſſis pluribus aliis notis Livii , & Dioniſy. , quos recenſet vernaculo ſermone doctus ejuſdem Civitatis alumnus P. Bonaventura Theulus Archiepiſcopali condecoratus dignitate in *Theatro Hiſtorico lib. 1. cap. 6.* qui rectè quoque in *cap. 7.* demonſtrat dictam Civitatem Velitrarum fuiſſe Volſcorum caput , & inibi Octavium Cæſarem Auguſtum prima incunabula habuiſſe,ut in *cap.* 8. ac ſignanter , ex teſtimonio *Sveton. in ejus vita* nedum in principio , ubi clarè dixit *Gentem Octaviam Velitris præcipuam fuiſſe multa declarant* , ſed ubi ſequitur de oraculo hiſce verbis ,, *Velitris antiquitùs tacta deCœlo parte muri reſponſum eſt, ejus Oppidi Civem quandòque rerum potiturum , qua fiducia Velitrini , & tunc ſtatim , & poſtea ſæpius penè ad exitium ſui cum Populo Romano belligeraverant . Serò tandem documentis apparuit oſtentum illud, Auguſti potentiam protendiſſe*

rela-

relatis pluribus aliis Hiſtoricis, qui de illius nativitate Velitris ſortitâ clarè loquùntur, præter ea, quæ talibus verſibus exponit *Mancinell.* pariter dictæ Civitatis Alumnus, qui plura Opera Typis mandavit, & inter alia ita cecinit

Eſt Vrbs inſignis Volſcorum nempe Velitræ
Antiquo in Latio grandis populoſa, feraxque,
Cæſaris Auguſti patriam dixere Latini

Imò in quodam parvo tranctatu de ſalubri potu, Typis mandato, *Joannes Baptiſta de Rubeis* peritiſſimus Medicus, & *Concivis Veliternus in cap.* 4. meminit ex authoritate plurium antiquiſſimorum nativitatis dicti Auguſti; ex quibus poteſt adaptari pro arguenda nobilitate hujus inclitæ Civitatis illud dictum *Ariſtotelis ad Theodect. lib.* 1. *Rethoric. cap.* 5. *Nobilitas Gentis, ac Civitatis eſt Indigenas vetuſtiſſimos eſſe, & primos Duces illuſtres, multos quoque ex ea gente in rebus, quæ expetuntur, claros extitiſſe &c.*

Nec ab re, (ante quam propiùs ad illius Regimen accedamus) videtur, ſi illius recentiorem formam quàm citiſſimè referamus. Ad pedes quodammodò montis nuncupati Fagiola, qui conterminus eſt alteri celebri Monti Alcido, ubi Sacra fiebant, ſurgit ſupra amenum collem præfata Civitas Veliterna, ferè unius milliarii longitudine, trium autem circiter ambitu, commodiſſimas ædes complectens, inter quas non contem-

nenda

nenda palatia privatorum Nobilium, ſed præſertim inviſitur illud Auguſtale, ubi reſidet Magiſtratus nobilitate quidem Architetturæ conſpicuum, cui operam dedit famoſus Bramantes, multaque notatu digna quilibet Advena conſpicit admirabundus; cùm præter nobilem plateam ex utroque latere habet duos perennes fontes prætermiſſis aliis quampluribus nobilioris, & gradioris formæ exiſtentibus in aliis plateis ejuſdem Civitatis, quæ nullis ſumptibus parcens uſque ad ingentem ſummam ſcutorum centum quinquaginta millium, per præruptos ſcopulos, aſperaſque rupes, interque ardua Saxa præcitati conterminì Montis Fagiolæ iter aquis aperuit; Fruiturque quilibet Civis, ſeu exterus ex dicto palatio jucundiſſimo agrorum proſpectu uſque ad mare, quod ab ipſa per planitiem diſtat decem octo milliariis, Territoriumque partim coronatur frugiferis collibus ex quibus aluntur infinitæ Vites permixtæ arboribus cujuſcumque ſpeciei fructuum, partim protenditur ad ſerendum, ut indè flava Ceres ſpicis afferat Civibus annonam.

Pervenimus modò ad Magiſtratuum deſcriptionem, quorum ordines, munia, dignitates, privilegia, ſunt nobis hac diſſertatione explicanda. Digna profectò res, in cujus indagatione non parum operæ ponitur: Utinam nos tantam in hac tractatione diligentiam adhibere poſſemus,

quan-

quantam rei dignitas requirit. Sed difficultatem maximam parit ſæpius dictorum Magiſtratuum, publicorumque officiorum variata ratio, & veterum monumentorum, in quibus hæc perſpicuè tractata fuere, amiſſio; ſolumque credendum, eſt quod cùm antiqua Civitas Veliterna in ſui origine eſſet caput Volſcorum, exindè peractis tot bellis, ob viciſſitudinarios Fortunæ caſus evaſerit municipium Reipublicæ Romanæ, non minus, ac iſta, illa ſervaverit in gubernio politico leges.

Quatenùs itaque attinet ad Politiam, iſtius vocabulum, *ut Plutarc. in lib. de tribus Reipub. generibus annotat*, tria præcipuè ſignificat. Primò communicationem juris, quod in aliqua eſt Republica, ſic dicimus impertiri alicui Politiam; Secundò Politia dicitur hominis civilis, qui Rempublicam adminiſtrat, vitæ ratio. Sic Biantis Politiam in laude ponimus, & Hyeperboli, atque Cleonis vituperamus; Tertiò ſignificat ordinem, & conſtitutionem Civitatis, ad quam diriguntur actiones. Juxtà hanc tertiā ſignificationem Politia eſt legitima ordinatio Reipublicæ, ſecundum quam alii præſunt, alii parent, vel ſicuti *Ariſtoteles lib. 3. politic. cap. 4.* definit, eſt deſcriptio, ſeu ordo Civitatis, & Magiſtratuum. Tres autem à pleriſque recenſentur ſpecies. Regnum ſcilicet, ſeu Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia, omiſſis tribus aliis, quæ illis opponuntur, nempè Ty-

rannis

rannis, Oligarchia, & Ochlocartia. Gubernium Monarchicum, quatenùs diſtinguitur à Tyrannide, reſidere ſolet in uno Rege, quem ad Majeſtatis faſtigium, non ambitio popularis, non vis, ſed ſpectata inter bonos moderatio pervehit, quique æquo jure omnia admininiſtrat; Tyrannus verò dicitur ille, qui robore corporis, & animi viribus cæteris præſtans, ſibimet ipſi imperium, & principatum alicujus Populi arripit, ſine ejùs voluntario conſenſu, Rex verò quando voluntario ſubditorum conſenſu imperat. Altera politiæ ſpecies eſt Ariſtocratia, quæ dicitùr gubernatio paucorum Civium ad communem utilitatem ſpectans, ut per *Polib. lib.* 3. qui appellat Ariſtocratiam, cùm Reſpublica ſecundùm electionem à juſtiſſimis, & prudentiſſimis Viris æqualiter adminiſtratur. Tertia ſpecies eſt Democratia, quæ diffinitur imperium Populi communem utilitatem ſpectans, ut latè oſtendit *Petr. Tholoſan. in Syntax. art. mirab. lib.* 21. *cap.* 2.

Hæc omnia Politiæ genera Civitas Veliterna experta fuit. Monarchiam videlicet, quando illa vetuſto tempore erat caput Volſcorum, ut refert *Adrian. Roman. theat. urbi fol.* 156. *Bellitræ Caput antiquorum Volſcorum*, & meliùs colligitur ex *Dionyſ. Alicarnaſ. antiquit. Roman. lib.* 8. *Sicinius in Volſcos miſſus, cum robore copiarum in Veliternum agrum irrupit; nam ibi erat Tul-*

lius Actius Volſcorum Dux cum florentiſſimo exercitu, & poſtea ſubdit, *Occurrit Tullius Actius cum valentiſſimis, & audaciſſimis edens multa præclara facinora; erat enim pugnator robuſtus, & manu promptus, ſed imperio parum idoneus &c.* Undè dictus Actius regebat Volſcos imperio, ſicque Monarchico jure, per ea quæ notat *Petr. Greg. Tholoſan. in Syntax. art. mirab. dicta lib. 21. cap. 2.*

Ariſtocratiam, quando, ut ex antiquis ſcripturis, aç plurium Pontificum diplomatibus exiſtentibus in publica Cancellaria Priorali colligitur, totum gubernium permanſiſſe apud novem Bonos Viros,ſicque inter paucos optimates, quibus etiam dirigebantur à S. Sede Apoſtolica Brevia Pontificia, quorum meminit *P. Theulus in theat. hiſtoric. lib.* 3. & refert unum Breve ſcriptum de anno 1462 à Pio II. ibi: *Dilectis filiis novem bonis hominibus, & Communi Civitatis noſtræ Velletri.*

Democratiam demum, quando contra plures Viros nobiles Patritios aliqui ex Plebe tumultuati ſunt, & ſeditiones in gubernio excitarunt, prætendentes fungi Magiſtratibus, non ſecùs, ac in Romana Republica Plebs ſecedens in Montem ſacrum, voluit ſibi aſciſcere Tribunos, quorum cathalogus refertur in indice poſt *Dionem Roman. hiſtor.*

Modò autem proſequimur ſermonem de Comitiis,

mitiis, quæ ad ſimilitudinem Reipublicæ Romanæ ſunt triplicis generis, nempè generale Conſilium, in quo indiſcriminatim omnes Cives, ſive ſint nobiles, ſive plebei, intervenire poſſunt; ſed hoc rariſſimè convocatur, fitque diverſis in locis, prout magis expedit, pro capienda reſolutione in aliqua ardua, ac graviſſima materia, ut tranſactis temporibus, ſcilicèt de anno 1362. 1363. 1365. 1373. 1374. 1381. ex docummentis aſſervatis in recenſita publica Cancellaria.

Comitia autem ordinaria diſtinguuntur in Conſilium majus, & Conſilium minus, ſed ambobus non poſſunt intereſſe niſi illi de Familiis Conſularibus, & nobilibus, quæ ſanè Familiæ modò auctæ, modò ob illarum mundanam extinctionem diminutæ fuerunt, ut proindè certus numerus nunquam fuerit, excluſis penitus omnibus, qui mechanicè vivunt, arteſque exercent, aliiſque etiam de plebe. Sicque in hac Civitate verificari nequit ſpecies Ocholocratiæ, quæ eſt quando vulgus authoritatem ſuam confert ad augendam potentiam contra Optimates.

Cùm autem hodiè in Italia pauca quædam locà nomen Senatorum retineant; ut ſunt Civitates maximæ, quæ vocantur Reſpublicæ, in aliis Civitatibus loco Senatorum ſucceſſerunt Decuriones, ſeu Conſiliarii; Et quemadmodum Senatus propriè dicebatur locus, in quem Senatores con-

 venie-

veniebant ad decernendum quidquid, pro recta Reipublicæ admniſtratione videbatur expedire, teſte *Pomponio J.C. in l. 2. §. deinde quia ff. de origin. Jur.* Ità in præſentiarum apud nos locus ille, inquem Conſiliarii, ſeu Decuriones conveniunt, Coſilium appellatur, ut obſervat *Cobell. in Comment. ad* Bull. *Bon. Regim. cap. 30. num. 25. & ſeq.* & omnes de numero Decurionum dicuntur nobiles ad *tex. in l. ſpurii in pricip.* ibique ſcribentes *& l. ultim. ff. de Decurion. Cobell. in dicto. Comment. cap. 33. num. 32.*

Verùm quia hujus Civitatis Territorium ſuburbanum eſt vitibus plenum, plurimæque Vineæ ſepibus circumdatæ, aliæque ad formam nobiliorem villarum redactæ cum domibus, necnon Viridariis pertinent jure proprii dominii ad dictos Nobiles Conſulares; opportunum cenſui, quodnam Agriculturæ, exercitium dicatur humile, & abjectum, ac Perſonis nobilibus parum honeſtum, ac indecens. Et ſanè tunc quis propter Agriculturam, ſeu coloniam dehoneſtat propriam nobilitatem, quando continuo ſuis manibus arva colit, cum vomere, & ligone, ut proindè tales homines veluti ruſtici reddantur incapaces aſſequendi ordines militares, atque Magiſtratus Civitatis, *ad tex. in l. Colonos il 2. Cod. de Agricol. & Cenſ. lib.* 11. ubi *Lucas de Pœnn. ſic ait Aſſuetus Vomeri, & ligoni, indeque ſordidus factus gladio turpitèr uteretur.* Cæ-

Cæterùm in hac materia nobilitatis, ei nullum obicem præſtat agricultura, ſive in abſtracto ſumpta, cum illa ſuapte natura non ſit vilis, neque abjecta, ſed potiùs nobilis, & honeſta, ut multis probat *Tiraquell. in tract. de nobilit. cap.* 32. *num.* 5. & copiosè *Caſſan. in Catalog. glor. mund. part.* 11. *conſul.*37. *Alciat. de preſumpt. regul.* 1. *præſumpt.* 48. *num.* 9. & in terminis nobilium Hiſpaniæ *Ottalor. part.* 5. *cap.* 2. *num.* 2. *Rota coram Duran. deciſ.* 294. *num.* 12. ſive in actu exercito conſiderata, quando Nobiles propria prædia ſuis manibus excolunt, non mercede conducta, ut partiarii Coloni, & non ſordidè, & aſſiduè, ut inde victum quotidianum, & neceſſarium omninò lucrentur, ſed magis cauſa virtutis, & vitandi otium, vireſque corporis exercendi, aut denique voluptatis gratia, prout de Perſonis nobilibus, qui aliàs nobiliter vivunt, potiùs præſumi debet, juxta doctrinam *Gloſs. in cap. illud* 40. *diſtinct. Bart. in l.* 1. *num.* 101. *verſ. adde Cod. de dignit. lib.* 11. & diſtinguendo bene proſequitur *Rota coram Duran. deciſ.* 294. *num.* 13. ubi, quod tales Viri nobiles, qui ſe ſe exercent in cultura Vinearum, ſeu Agrorum, non cum vomere quotidiano, aut cum ligone ruſtico, nobilitatem nequaquam intervertunt, ſed in ſua perfectione, ſuoque priſtino candore retinent.

Quandoquidem ex Sententia *Strabonis*, *virtutis*,

tutis, ac vitæ magiſter ingenuæ eſt cunctis hominibus ager, & apud priſcos Romanos tanto ſtudio Agricultura culta apparet, ut cunctis aliis fuerit antepoſita, ſicut probat *Dyoniſ. Alicarnaſ. lib* 2. itaut nobiles in proprio Fundo ſeſe ſuo corpore exercentes, debeant gaudere omnibus privilegiis, & exemptionibus nobilitatis *Guttierez practic. quæſt. civil. lib.* 3. *quæſt.* 13. *n.*46. *Avendan. in ſuo Dictionario verbo Cavaliero Guido Pap. deciſ.* 41. ibique *Adden. Vinc. Franc. deciſ.* 337. ubi diſtinguit Ruſticum à Villano, ut ille dicatur talis, qui facit ſemper opus ruſticum, vel rurale. Villanus autem dicitur à Villa, quaſi ex illa ſit natus, & tamen poteſt eſſe nobilis, ut fuit, *Vulpianus l.* 1. *in princ. ff. de Cenſib.*

Præterea illa ignobilitas, & vilitas, de qua in *d. l. Colonos*; & quæ in Agricola conſiderari aliquando ſolet, provenit, vel ex eo, quod operas ſuas locat in agro alieno colendo *l. miles Cod. locat*; vel ex quo, ut advertit Renatus, etiam in agro proprio ita ſordidè, nullâque dignitatis ratione habitâ, exercentur operæ ruſticæ, ut ſic laborantes in ſervile officium incidere videantur, atque ita abjecto animo ruſticentur, quod ſi aliquandò Reſpublica egeret eorum induſtria, non minus abhorrent, ſeque â Civium conſpectu ſubtrahunt, quàm à ſolari nitore Veſpertilliones, quæ ratio ceſſat in illo Viro nobili, qui licet ſuis

mani-

manibus in proprio agro laboret; nihilominus civiliter, & decenter operam preſtat nec à Civitatis negotiis totalitèr ſe abdicat, ut optimé firmat Rota coram Duran: *dicta deciſ.*294. *num.*16.

Quæ clarius comprobantur exemplis, dum Imperatores, Reges, Duces, & Conſules aliquandò virtutis, ac voluptatis cauſa, Ruri viventes, operam agriculturæ dederunt, ut probat *Tiraquell. de nobilit. cap.* 32. *num.* 5. *Carol. Ant. de Luca in obſervat. ad deciſ. Franch.*337. *n.*1. Imo Cicer. *lib.* 1. Rethoricor. ſeu officior. ita ait, *nihil agri. culturâ melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius,* & in lib. de ſenect. repetit: *Veniam ad voluptates agrigulturarum, quibus ego incredibiliter delector, quæ nec ullâ impediuntur ſenectute, & nihil ad Sapientis vitam proximè videntur accedere*, ut notat *Boer. deciſ.*322. *n.* 11. ubi recenſet pulchrius exemplum, quod L. Quinctius Cincinnatus fuit per Senatum Romanum electus Dictator, & Nuntii ad eum miſſi invenerunt arantem cum Bobus, & ſtatim terſo pulvere accepit Dictaturam, quæ erat majus officium, quod habeberetur Romę, & aſſumpto Exercitu, Inimicos Populos debellavit, & de eis triumphavit, & reportatâ victoriâ, ſtatim rediit ad arandum, velut ad intermiſſum opus, atque ultrà illum poſſem commemorare Claudium, Curtium, Fabricium, Corvinum, Regulum, Serranum omnes

nes viros Conſulares, ac Triumphantes Tarentini & Punici belli, & ab honoribus ad agriculturam reverſos & quam bellè hoc indicat Cicer. in Orat. pro Roſcio Amerino his verbis, *nec tu Eruci accuſator eſſes ridiculus, ſi illis temporibus natus eſſes, cum ab aratro accerſebantur qui Coſſ. fierent*. Sed operæ pretium eſt, redire ad regimen Civitatis Veliternæ.

Ordinariè convocatur Conſilium majus pro eligendis Magiſtratibus, aliiſque publicis Officialibus dictæ Civitatis, quæ (prout ab urbe condita Romulus diſtinxit illam in Curias,) dividitur in quinque Decarcias, ex quarum ſingulis, duo in eodem Conſilio majori eliguntur Imbuſſulatores, qui in ſecretiori Aula publici Palatii, exinde, juxta majorem ſeu minorem qualitatem Nobilium, eligunt Magiſtratum repræſentatum à tribus, quorum unus appellatur Caput ſeu primus, alter ſecundus, & alter tertius Prior, qui ſingulis tribus menſibus extracti ex quadam decenti capſula, ubi conſervantur parvulæ pilæ cerulei coloris, aſſumunt regimen Civitatis, reſidentque in Palatio, ad quod accedunt cæteri publici, ac annuales Officiales, nempè Syndicus, Fiſcalis, Theſaurarius, duo Præſides Graſciæ, ac duo Ædiles Viarum, & ſimiles, prout indigentia expoſcit, atque in dicto publico Palatio Magiſtratus habent Priores uſum Baldachini oloſerici rubri, pariterque Campanulæ

pro

pro convocando Comitatu in publicis functionibus, necnon proprium, ac privatum Oratorium.

Inſignia verò eorumdem trium Priorum ſunt quædam Veſtes Sericæ, & oloſericæ talares cum ſuis criſpatis Pileis nigri coloris pro temporum qualitate, vulgò *Rubboni Senatorii*, prout iiſdem veſtibus utitur Senatus Romanus, cujus majeſtatem ſemper Civitas Veliterna imitata eſt, poſtquam fædere cum eo coniuncta fuit, juxta præcitata verba relata à Dionys. Alicarnas. *in fædus eos recepit*, *& amicitiam*; quantumque verò dictus Magiſtratus ſuum antiquum, & modernum conſervet ſplendorem, quiſque exterus, aut Indigena illum accedentem ad Sacra Templa in publicis feſtivitatibus conſpicit, dum præcedentibus tribus Tubicinibus ac novem famulis publicis omnibus eleganti vario cultu vulgo *livrea* indutis cerulei coloris, cum ſuis faſcibus ſericis albis, ſubſequitur Magiſter Domus civili habitu indutus deferens Clavam argenteam; multique alii Viri nobiles comitantur dictum Magiſtratum pro majori decore, præter quoſdam milites, quod in bene ordinata Republica ſervari debet, habetque intra Eccleſias, ad quas accedit, in proprio Scamno elevato ſtratum, cum ſuis pulvinaribus oloſericis viridis ſeu alterius coloris quemadmodum tempora, & functiones poſtulant.

Hinc eſt animadvertendum, quod cum in quo-

C libet

Catalog. glor. mund. diſput. 8. cum aliis congeſtis, per *Barboſ. dicto voto deciſ.* 23. *num.* 3.

Propterea in hac Civitate Veliterna ex quadam laudabili conſuetudine, ſeu peculiari uſu, Imbuſſulatores in delectu illius, qui in Magiſtratu ordinario debet gerere primam Perſonam nuncupatam *Capo Priore*, dummodò ſit cum aliis duobus Prioribus de corpore Familiarium Conſularium, & nobilium, ſemper habuerunt rationem generis, Cenſus, & ætatis, cum de jure in obtinendis primis honoribus origo natalium ſit attendenda *ad tex. in l. honor* 14. §. *de honor ff. de muner. & honor.* & firmavit Sac. Conſilium Neapolitanum, *ut ex Sanfelic. deciſ.* 288. *num.* 2. & aptiſſimum videtur in caſu emergenti, quod magiſtraliter voluit *Bald. in cap.* 1. *verſic. ego n.* 1. *de Pace conſtant.* quod qui nobilior eſt in liga, is intelligitur eſſe Superior, & confert in propoſito authoritas Sacræ Scripturæ *Deuteronom. cap.* 1. ubi ita ſcribitur *tuli de Tribus veſtris Viros ſapientes, nobiles, & conſtitui Principes, & Centuriones*, cum aliis eruditè traditis per *Sanfelic. dicta deciſ.* 288. *num.* 3. & 4. præter alias qualitates volitas à ſtatuto, quæ ſunt dignitas doctoralis, ſeu Militaris, dum ex litteris, & Armis nobilitas non ſolum, acquiritur, ſed ſplendidiùs conſervatur: ut Juſtinianus in proæmio ſuarum Inſtitutionum Civilium, ſic exorditur, *Imperatoriam Majeſtatem*

C 2 non

non ſolum Armis decoratam ſed etiam legibus oportet eſſe armatam, quod proemium ita legitur ſummatum, *pro ſuſtentatione, ſeu gubernatione reipublicæ duo ſunt neceſſaria leges, & arma &c.*

Atque inſuper reflectendum eſt, quod licèt gentilitia nobilitas inſpecta radice excellentior antè omnes videatur; nihilominus tamen bono Reipublicæ regimini aptior, & convenientior erit, ac magis æſtimanda, quæ à virtute propria procedit, ut dixit *Cicer. ſatiùs eſt enim meis geſtis florere quàm Majorum opinione niti, & ita vivere, ut ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum, & Senec. ait in lib. 3. de benefic. nemo altero nobilior, niſi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius*, & nobilitatem, quæ virtute conſtat, ſolam veram eſſe ex *Nazianzien.* affirmat *Sarmient. Select. lib. 1. cap. 15. num. 6. & Jurenal. in Satyr. 8. Nobilitas ſola eſt atque unica virtus, Ovid. lib. 3. Metamorph. Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra puto.*

Quare Principes ſapientiores ſemper ad publica Reip. officia plus virtute, quàm ſanguine nobiles indagarunt, ut ex *Dionyſ. Alicarnaſ. tradit Symmach. lib. 5. de repub. cap. 4.* cujus verba refert ibi: *apud nos Magiſtratus, ac honores deferuntur non ditiſſimis, non his qui longiorem majorum poſſunt oſtendere ſeriem, ſed digniſſimis,*

nul-

*nulla enim alia re, quàm virtute hominis, nobilitatem conſtare dicimus, Maſtrill. de Magiſtrat. lib.*1.*cap.*8.*num.* 57.

Benè verum eſt, quod hujuſmodi præclara qualitas perſonalis conſiſtens in Doctoratu, ſeu munere militari non debet materialiter concurrere ad conſtituendum Aliquem cum majori prærogativa præſtantiorem cæteris paribus, ſed formalitèr, ſcilicèt in vera operatione Intellectus aut in fortitudine animi, prout benè *Salluſt.in Bello Catalin.* ſic inquiens *noſtra omnis vis in animo, & corpore ſita eſt*; proindeque in ſubjecta materia præeminentiarum gradus Doctoratus conſequi dedebet ab aliqua publica Univerſitate, ſeu Accademia ſcientifica, ubi non niſi prȩvio examine, ac ſervatis ſervandis conferri ſolet iſte gradus. Quoniam Doctores ex ſolo privilegio conceſſo à Feudatariis Imperialibus, vel aliis doctorandi facultatem habentibus, ſuffragari non debet: quemadmodùm receptum habemus non opitulari iis, in dignitatibus, quæ vel de jure, vel ex diſpoſitione Sacri Conc. Trident. exigunt doctoratum, ut ex. gr. ſunt primæ dignitates Capituli poſt Pontificalem, necnon Vicariatus Capitularis, & ſimilia ex deductis per *Borrell. in Sum. deciſ. par.* 1. *tit.* 65. *de Offic. Advocator. num.*3. *Card. de Luca de præeminent. diſc.*35. *num.*11. Et coſequenter concors eſt omnium opinio, quod prærogativæ conceſſæ Docto-

prout conſiderat *Card. de Luc. de præmin. dicto diſc.* 35. *num.* 10. *Guidopap. deciſ.* 388. *&* *deciſ.* 389. atque experientia edocemur, quod nati ex Sanguine nobili regularitèr aptiores ſunt ad gubernia, & majori pollent claritate, ac dexteritate morum, non ſecùs ac de animalibus cecinit *Horat. lib.*4. *od.* 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in Juvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam.

Maximè quando Aliqui ex Familiis nobilioribus, & Conſularibus Civitatis Veliternæ oſtendunt in publica Cancellaria Priorali, per nunquam interruptam obſervantiam, Patrem, Avum, Proavum, Tritavum, aliosque Aſcendentes, ſemper ex Imbuſſulatione aſſecutos fuiſſe, in ordinario Magiſtratu locum Primi Prioris nuncupati *caput*, dummodo eædem Familiæ, atque illi ex eis deſcendentes, ſemper cum omnium exiſtimatione nobiliter vixerint, nunquam ſordidas, ac mechanicas artes exercuerint, eòque magis ſi Avitum cenſum conſervaverint pro decore propriæ nobilitatis, cùm de cætero ſcrutinium faciendum ab Imbuſſulatoribus electis in præcitato majori Conſilio debeat eſſe liberum per fabas albas, & nigras excludentes quamlibet neceſſitatem.

Quamobrem hic examinari poteſt ille articulus, an

an per Conſiliarios, in publico Conſilio, & per Imbuſſulatores pro eligendis Officialibus ſervari debeat modus ſuffragandi per vota ſecreta, vel per ſuffragia publica, & omnibus patentia, in qua ſanè quæſtione crederem eſſe ſervandam illam formam, quæ magis congruit libertati Votantium, prout talis libertas tunc dicitur adeſſe in Conſiliis, aliiſque publicis Congregationibus, & Capitulis ſive generalibus ſive particularibus, quando vota per fabas albas, & nigras mittuntur ſecretò in capſulam, quia in hoc modo Suffragandi quiſque poteſt propriam exprimere voluntatem abſque ullo humano reſpectu, ſive dependentia, ut dicit, *Abb. in cap. quia propter num.* 5. *de elect.* ibi: *in ſecreto exquirantur, ut liberiùs quiſque poſſit voluntatem, & Judicium ſuum, exprimere*: & quoque examinando materiam pro Capitulis tradit *Garz. de Benefic. par.* 5. *cap.* 4. *num.* 185. & in terminis Regularium *Navarr. in lucerna verbo electio num.* 4. *Donat. prax. regul. tom.* 2. *tract.* 1. *quæſt.* 6. *num.* 3. & de hujuſcemodi libertate admittendi, vel reiiciendi petentem aggregationem dixit *Rota deciſ.* 180. *num.* 23. *& ſeq. par.* 9. *recent.* quam examinat *Card. de Luca de præemin. diſc.* 31 *n.* 2. *&* 3. ubi conſiderat Statuta particularia requirentia in Perſonis certas qualitates, non eſſe arctativa, ut ab excluoſine poſſit quis appellari, ſed voluntaria, & facultativa, dum-

dummodò excluſio non proveniat ab aliquo particulari odio, malevolentia, & irrationabili judicio, quod odium regularitèr juxtà majorem, ſeu minorem nobilitatem, præſertim conſervatam ex antiquis divitiis, aliiſque majorum ſeu Collateralium aſſequutis honoribus, & Dignitatibus, ſemper viget inter Cives, & Candidatos nobiles Conſilii majoris, dum nobilitatis mores ſunt, ut ambitioſior ſit, qui nobilior eſt, prout ait *Ariſtotel. lib.* 2. *Rethor. ad Theodect. cap.*15. Immò in materia nobilitatis, & præeminentiarum deferendum eſt conſuetudini, & ad noſtrum præciſum effectum, ut quis eligatur Caput Prior non ſolum debet habere nobilitatem natalium, quodque ab aliis ex communi fama conſequutus fuerit honores, ſed etiam, quod debeat eſſe dives patrimonio, ex traditis per *Caſſanen. in conſuetud. Burgund. rubr.* 4. §. 19. *gloſſ.* 2. *num.* 4. cum aliis adductis per *Amendol. in addit. ad deciſ. Franch.*207. *num.*1. & 2.

Cœterùm cùm titulus ſeu adjectum *Capo Priore*, ut aſſerunt aliqui, quibuſdam ab hinc annis conſuetum fuerit apponi in ſubſcriptionibus, idque magnam emulationem peperit inter Conſiliarios, ut proindè civiliter inter ſeſe certent, quaſi quod nonnulli credunt titulum, ſeu adjectum illud eſſe diſtinctivum nobilitatis diſcretivè ad alios, qui ponuntur in ſecundo, & tertio ordine, ſeu gradu Magiſtratûs. Pro removenda hac inſubſi-

ſtenti credulitate, & concilianda pace inter omnes Cives conſulares, ex quibus eliguntur dicti tres Priores dicimus, quod quidquid, ſit an antiquis temporibus nullus ex Prioribus ſubſcriberet *Edicta* publica, aliaſque Scripturas cum illo adjecto *Capo Priore*; certum tamen eſt, quod nomina eorum, qui imbuſſulabantur pro exercendo dicto actuali Magiſtratu, deſcribebantur in quadam Schedula parva ordinatim nempè *Titius*, *Sempronius*, *Cajus*, & cum tali ordine etiam ipſi ſubſcribebant publica Bannimenta, adeout Titius qui erat ordine primus, ſemper antiquitùs per ora omnium Civium nominabatur Caput Prior; ſicque ſi exindè dictum adjectum in praxi redactum fuit, nullam ſecum tulit innovationem, ut multi malè exiſtimant, ſed fuit quædam explicatio, quæ tacitè ab antiquo tempore inerat in Titio, ſemper in Magiſtratu poſito in primo loco ad inſtar ejus, qui excutit frumentum à ſpicis, ut non dat novum eſſe dicto frumento, ſed ſolum illud aperit ex allegatis per *Urceol. conſult. forenſ. cap.* 4. *num.* 25. *Card. de Luca de juriſdict. diſc.* 105. *n.*4., & de facto delata contentione civili ad ſupremum Tribunal Sacrę Conſultæ, quæ jam conceſſerat jus ſubſcribendi Capitibus Priorum, ita ſub die 30. Decembris 1710. noviter decrevit : *Quoad denominationem Capitis Prioris nihil de nova audientia, cum declaratione tamen, quod per denominationem Capitis*

pitis Prioris nulla omninò competat major facultas, ſeu diſtinctio, ſed ſolum ſit primus inter pares. Quod ſanè reſcriptum ità de jure intelligendum eſt,ut parilitas reſpiciat tantum conditionem Officii ſecum ferentis adminiſtrationem, ac juriſdictionem,in qua debet eſſe æqualis facultas, quoad juſtitiam adminiſtrandam, non autem concernat conditionem majoris generis cujuſvis Officialis reſidentis in actuali Magiſtratu; ex illa communi juris concluſione,quod nobilitas poteſt eſſe cum adminiſtratione, & ſine. Immò nobilitas interdum eſt quædam dignitas ſeparata ab ipſa adminiſtratione Officii, per ea quæ latè tradit *Bart. in leg.*1. *ex num.* 43. *ad* 46. *Cod. de dignit. lib.* 12. quem ſequitur *Franch. deciſ.*62. *num.*4. *&* 5.

Propptereàque repetimus in noſtra Civitate adhuc vigere quamdam ſpeciem Ariſtocratiæ, ut nulla Familia fuerit à Conſilio majori cooptata in Senatum, niſi probaverit nobilitatem diſcretivè à Plebe, & ab exercitio cujuſvis artis mechanicæ, licèt plurimi, qui hanc exercent, ſint facultatibus, eis divitiores,& proindè in propoſito confert,quod Conſiliarii ſucceſſerunt loco *Decurionum*, atque idem ſignificat Conſiliarius, ac Decurio *gloſſ. in l.*2. *Cod. de Decurion.*, *& filiis eorum lib.*10. ubi *Joannes de Platea*, *Lucas de Penna*, *& cæteri*, *Amaya in rubric. eod. tit. num.* 5. *Loſſeus de jure Univerſit. par.*1. *cap.*3. *num.*9. *cum ſeq.* Decurio-

nes autem quia repræſentant in Conſilio majori totam Civitatem, ideò omnes nobiles dicendi ſunt *Amaya* ubi ſupra *num.* 5. *cum ſeq. Cardin. de Luca de præemin.diſc.*30.*num.*6. cum aliis in hiſce noſtris terminis allegatis per Rotam in Aſculana nobilitatis ordinis Conſularias 27.*Junii* 1708. §. *Ad baſce coram Reverendiſsimo Domino Molines Decano* ibi: *nihil evidentius, quod ex vi tranſactionis Magiſtratus Conſularis in præteritum erat nobilis, & præſtabat clarum ſignum diſtinctivum generoſæ nobilitatis, quæ eſt quædam qualitas ſive dignitas derivata à claro ſanguine Parentum in eorum liberos propagata, per quam taliter nobiles ultra honeſtos Cives, & Plebejos excipiuntur, & honorantur, ut colligitur ex l.* 3. *ff. de interdict. & docuit Bartol. in leg.* 1. *Cod. de dignit. Garz. de nobilit. gloſſ.* 7. *à num.* 17. *Ottalor. eod. tract. cap.* 4. *per tot. Rota deciſ.* 78. *num.* 4. *cum ſeq. par.*8. *rec. Adeoque veri nobiles apud Romanos illi dicebantur, quorum majores Curules Magiſtratus, ut ſunt Conſulatus, Cenſura, Prætura, Ædilitas geſſerunt per ea quæ tradunt Sinibald. de Ubald. de nobilit. concluſ:*9. *Bordin. de Republic: lib:* 3. *cap.* 8. *Roſin: antiquit: Roman. cap:*19:*& modern.Kinipſchilt: de nobilitate lib.*1. *cap.*1. *num.*12.

Nec poſſunt aliqui Cives hodiè conqueri, quod licèt antiquo tempore eorum Familiæ eſſent Senatoriæ

toriæ ſeu de Conſilio, modò non adſunt; Nam jure quidem merito deletæ ſeu excluſæ fuerunt, ſicque ab illis deſcendentes hodiè incapaces redduntur, nec aſſequi valent munia Magiſtratus nequidem in tertio ordine, & ratio eſt, quia ob nimiam paupertatem, & ſine ulla doctrina taliter ſordeſcunt, ut non niſi cum proprio, & publico dedecore, poſſent Civicos exercere honores.

Aliæ verò, quia degeneres fuerunt à ſuis majoribus, ut proindè amiſerint nobilitatem, quæ divitiis, ac virtutibus, & bonis moribus acquiritur, ut inquit Platina de vera nobilitate, *meo judicio eos nobiles appellandos cenſeo, quos, & genus antiquum, & divitiæ benè partæ, à majoribuſque relictæ commendant*. Ita etiam ignominioſa paupertate ſordeſcit, & factis indignis amittitur, ut loquitur *Caſſiodor. in epiſt. ſicut indigna poſteritas laudes antiqui generis abnegat*.

Inſuper Civitas hæc Veliterna ſemper imitata eſt Rempublicam Romanam, in cujus Senatum fortaſsè ob extinctionem familiarum cooptavit nonnullas novas aliorum Civium, dummodo in aliquibus concurreret primum fulgimentum nobilitatis, conſiſtens ut dictum eſt, in divitiis, virtutibus, & moribus, & è contra ex ordine conſulari delevit illas familias paupertate, ac ignominia à majoribus degeneres juxta illud *Virgil. Æneid: lib: 4: Degeneres animos timor arguit*, ut ex-

explicat *Calepin. verbo Degener*, quodque divites eſſe debent, & non pauperes, qui ad officia Civitatis eliguntur, refert cœteris relatis *Cobell: in Comment: ad Bull: bon. Regim. cap.* 31. *num.* 12. ubi pro obtinendo Magiſtratu multùm prodeſt opulentia, ſicuti valdè obeſt paupertas, ut etiam ait *Ariſtotel. lib.2.polit. cap.9.* ex hac ratione, quod impoſſibile eſt egenum rectè Magiſtratum regere, & hanc concluſionem multis aliis argumentis comprobat *Tholoſan: in Syntagm: jur: univ: p:* 2: *lib:*47: *cap:*10: *num.*14: & facit etiam illud *Horat: lib:*3. *Carm. ode* 24.

Magnum pauperies opprobrium jubet.
Quidvis, & facere, & pati,
Virtutiſque viam deſerit arduæ.

Idque complectens refert hiſtoricè *Roſin: antiquit: Roman: lib:*7. *cap:* 5: *titul: de Senator : eorumque num:* ubi per hæc verba inquit: *In iis verò legendis generis, ordinis, cenſus, ætatis, & Magiſtratus habita fuit ratio, generis quidem, ut ex iis familiis legerentur, quibus Senatus patebat, patuit autem primum Patriciis, poſt etiam Plebeis, de Patriciis nullum eſt dubium: de Plebeis, quando illi primum in Senatum allecti fuerint, valdè diſcrepant Authores &c. Cenſum autem in legendo Senatu ſpectatum, declarat Seneca inquiens, Senatorum gradus cenſus aſcendere facit: an verò hoc antiquum fuerit Inſtitutum in dubium revocare*

vi-

*videtur Plinius, cum ait poſterius laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit, poſtquam Senator cenſu legi ceptus, peſſum jere vitæ pretio &c. laudatur autem cenſus in Senatore nè ſplendor ampliſſimi ordinis rei familiaris anguſtiis obſcuretur. Ceterùm ante Auguſtum cenſum Senatorium ſex tertiorum 800: millia fuiſſe, eumque ab Auguſto ampliatum docet Sveton:, & Dion: neque ſolum, ſi quis Senatorium cenſum non haberet, Senator legi non poterat, ſed ſi poſtquam lectus eſſet, cenſum labefactaſſet ordinem amittebat Cicer: Epiſt. ad Q: Valer:*Quodque unuſquiſque Vir clarus virtute,licèt Alienigena, temporibus Reipublicæ Romanæ fuerit cooptatus in Senatum, ubi eligebantur Conſules,non eſt revocandum in dubium;dum prætermiſſis aliis, habemus perſpicuum exemplum.IpſiusCiceronis,qui ortum habuit in Oppido Arpini, dum ait *O fortunatam natam me Conſule Romam*, quod carmen tamquam inſulſum jocosè deridet Juvenalis,qui ceteroquin magni æſtimabat Ciceronem pro ejus celebri eloquentia Oratoris, ut de illo loquens in *Satyr:* 10: cecinit hiſce verſibus

Ingenio manus eſt,& cervix cæſa, nec unquam
Sanguine Cauſidici maduerunt roſtra puſilli
O fortunatam natam me Conſule Romam
Antoni gladios potuit contemnere, ſi ſic
Omnia dixiſſet, ridenda poemata malo

Quam

Quam te conſpicuæ divina Philippica famæ
Volueris à prima, quæ proxima &c.

Cumque Ciceroni generis ignobilitas obiiceretur: *Satius eſt, inquit, meis geſtis florere quam majorum opinione, uti & ità vivere, ut ſim Poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum*; Idem *Cicer: in orat: contra Saluſt.*

Quarè rectè quidem nonnulli Forenſes, qui ad Civitatem Veliternam acceſſerunt, vel in ea commorati ſunt, atque probaverunt deſcendere à Familiis nobilibus, quamvis origine exteris, peculiaribus connubiis contractis cum aliis Familiis antiquis, & nobilibus dictæ Civitatis, non ſolum cooptati fuerunt in Senatum, ſed aſſequuti quoque primos Magiſtratus, ac electi, ſeu imbuſſulati fuerunt Primi Priores, ut proindè ſucceſſu temporis eædem Familiæ exteræ effectæ fuerint antiquæ dictæ Civitatis Veliternæ, & deſcendentes ab eis habuerunt ſemper, nullâ intermiſsâ generatione, in eodem Magiſtratu locum Capitis Prioris, ut ſi unquam opus fuerit, ſermonem aſſumam de hiſce Familiis allectis, & nobilibus. Interim dicimus, quod fuit antiquus mos etiam in Republica Romana alliciendi exteras Familias, ut præter adductum exemplum Ciceronis extat aliud conſpicuum Familiæ Octaviæ, undè deſcendit Auguſtus totius Orbis Imperator, teſte Svetonio, in illius vita ex ſupra relatis verbis, quæ hìc repete-

petere non incongruum erit *Gentem Octaviam Velitris præcipuam fuiſſe multa declarant &c. ea gens à Tarquinio Priſco Rege inter Romanas allecta in Senatum , mox à Tullio inter patricias tranſducta*, & hoc clariſſimè deprehenditur de Familiis exteris alliciendis ex oratione, quam Mecenas habuit ad Cæſarem, prout refert *Dion. Rom. hiſtor. lib.*3. ibi: *In hunc ordinem omnes eos, qui ubique locorum genere, virtute ac divitiis ſecundum locum merentur, adſcribes &c.*

Redimus modò ad gubernium Civitatis, undè digreſſi fuimus; primo animadvertendo, quod quatenùs in Senatum ſeu Conſilium eſſet cooptanda aliqua Familia, de novo, pro ſupplendo Numero aliarum Familiarum extinctarum, illaque in ordine privatæ nobilitatis in dicta Civitate vixerit, hujuſmodi allectio non poteſt fieri à tribus Prioribus in Magiſtratu ordinario reſidentibus, ad quos dumtaxat pertinet convocare Conſiliarios, ut in Conſilio majori determinetur admiſſio, ſeu excluſio, ità probatur *per text. in l.2. Cod. de Decurion. lib.*10. ibi: *Magiſtratus, Decurionibus ſolemniter convocatis, nominationem ad certa munia faciant*, ubi *gloſſ. verbo faciant* notat, quod electio non per Magiſtratum convocantem, ſed per Decuriones ſeu Conſiliarios convocatos facienda eſt, ut in terminis noſtris expendit *Card. de Luca de præemin. diſc.*31. *num.6.*

E Reſi-

Reſidentia verò ejuſdem Magiſtratus ordinarii nequit eſſe nobilior, dum habent publicum Cancellarium inſimul, ac Secretarium, ejuſque ſubſtitutum, quorum munus verſatur in conſervandis Scripturis, conficiendis inſtrumentis pertinentibus ad Communitatem, judicialibus actis conſcribendis, & ſimilibus peragendis; poſſet tamen in hoc quæri, an Priores pro tempore reſidentes habeant poteſtatem illum removendi, in qua ſanè quæſtione illud obſervandum venit, quod ſi Cancellarius ad officium eligitur in Conſilio majori per omnes Conſiliarios, qui ſucceſſerunt loco antiquorum Senatorum, ut ſupra dictum eſt, & in hoc caſu non videtur adeſſe in Prioribus repræſentantibus Magiſtratum pro tempore poteſtas illum removendi ex regula *quæ à majori parte fiunt &c.* & conferunt quæ in proximis terminis tradit *Cardin. de Luca de præemin: diſc.*38. *per tot.* Utrùm autem convocato per eoſdem Priores Conſilio majori, in illo talis remotio Cancellarii, ſeu alterius publici Officialis fieri valeat, & in hac quæſtione præmittendum eſt, quod cum in jure cautum non reperiatur officium Cancellarii eſſe perpetuum; diſtinguendum proindè eſt, quod aut hujuſmodi Officium collatum fuit ad vitam Officialis, aut collatio facta fuit alicui Perſonæ temporaliter; in primo namque caſu licèt à principio electio eſſet voluntaria, evaſit per quamdam ſpeciem contractus

ne-

neceſſaria, ut per conſequens quis ab officio removeri nequeat, ratio eſt, quia quando Conſiliarii conferunt officium publicum alicui ad vitam, videntur facultati illum removendi renunciaſſe, ut optimè in propoſito diſtinguit *Rota deciſ.* 339. *num.* 6. 7. *&* 8. *par.* 9. *recent.* ubi concordantes.

Si verò Cancellarius, ſeu alter publicus Officialis fuerit temporaliter deputatus, ſeu illi collatum officium ad nutum amovibiliter, & tunc finito tempore, vel quandocumque poteſt Officialis removeri ab officio, immò Amotus nequit obtinere in poſſeſſorio manutentionem, & ratio eſt, quia deputatus ad nutum, non habet veram poſſeſſionem, & poſſeſſio data ad tempus, ceſſat elapſo tempore, prout practicatur in Cappellanis ad nutum amovibilibus ex doctrinis allegatis in dicta *deciſione* 339. *numero* 3.4.5. *par.* 9. *recent.*, & communiter Doctores, & conferunt plura alia, quæ in propoſito tradit *Card. de Luca de regalib. diſc.* 20. *per tot.* ubi conſiderat quando remotio debeat eſſe cum cauſa, vel ſine, ſeu potiùs procedens ab odio, inimicitia, & ſimilibus.

Præter dictum Cancellarium, habent dicti Priores in actuali Magiſtratu duraturi per tres menſes, Magiſtrum Domus, ſeu Palatii publici, & in hoc crederem eſſe procedendum cum diſtinctionibus ſupra relatis. Verum quia pro decore publicæ majeſtatis, & pro ſervitio eorundem trium Priorum,

ſive ipſi conſiderentur uti ſinguli, ſive in corpore, adſunt plures, & diverſi Famuli inferiores, & conductitii, in his crederem adeſſe, etiam inſpecta juris cenſura, ſeu totius Orbis conſuetudine in dictis Prioribus reſidentibus pro tempore facultatem, antiquos pro eorum libito removendi, & novos admittendi, & ratio, eſt quia ſingulis ex dictis tribus Prioribus aſſignantur tot Famuli, qui eos non ſolùm ſingillatim, ac privatim comitantur ex propriis Domibus exeuntes, & accedentes ad publicum Civitatis Palatium, & ab iſto redeuntes ad eorum proprias Domos, verùm etiam famulatum præſtant eiſdem ſingulis Prioribus in aliis pluribus ſervitiis, ſicque pro remotione dictorum Famulorum pro libito eorundem Priorum, nullum cadere poteſt dubium, non ſecus ac quilibet Dominus privatus poteſt removere famulum ſibi inviſum, aliumque magis aptum, & bene viſum, pro ſuo domeſtico ſervitio aſciſcere, ut benè ratiocinatur *Cardin. de Luca de regular. dicto diſcurſ.* 20. *numero* 7.

PARS SECUNDA.

PRærogativa Magiſtratus Inclitæ Civitatis Veliternæ, qui repręſentatur per dictos primum, ſecundum, & tertium Priores electos ab Imbuſſulatoribus pariter ſelectis in conſilio majori, ad illius

lius actuale regimen ſeu gubernium, non ſolùm conſideratur ex eo quod omnes ſunt nobiles, tanquam ex corpore Conſilii, ſed nobilitas ejuſdem Magiſtratus creſcit à juriſdictione, quæ per Reſidentes exercetur in dicto publico Palatio Civitatis ex traditis per *Giurb. de ſucceſſ. feudor prælud.* 3. *num.* 8. *&* 9. *Cardin. de Luca de præem. diſc.* 30. *numero* 7.

Hujuſmodi autem juriſdictionem credimus eſſe nativam, ducta nempè origine uſque de eo tempore, quo Aborigines Italiam incoluere, & quando hac in regione, quæ modò appellatur maritima, & Campanea, & antiquitùs Latium vetus, plures diſtinctæ Populorum Nationes incolebant montes, & planitiem, nimirùm Volſci, Æquicoli, Rutuli, Hernici, & ſimiles, ut tradit *Sigon. de antiqu. jure Ital. cap.* 3. ibi *Latio comprehenſos, ac latinos fuiſſe Volſcos, Æquos, Rutulos, Hernicos, Oſcos, Auſones &c.* inter quos, etiam ante conditam à Romulo Urbem, continua Bella fiebant. Unde in hac pervetuſta Civitate Veliterna, quæ ſemper ab antiquis Hiſtoricis vocatur nobilis, ut ultra *Blondum Forolivienſem*, tradit *Dionyſ. Alicarnaſſ. antiquit. Roman. lib.* 7. *pag.* 303. ibi: *ex nobili ejus gentis Urbe Velitris, quæ magna priùs, & propuloſa, ſic tunc exhauſta eſt &c.* in dicta in quam Civitate ſemper viguit apud Senatum juriſdictio, ſive olim regeretur jure Monarchi

narchico, quod tribuit juriſdictionem Regi ex conſenſu Populi, ſive jure Ariſtocratico, quod dictam juriſdictionem reſtringit inter Optimates Civitatis, ut ſupra ex authoritate Roſini fuit demonſtratum: quam ſanè nativam juriſdictionem dictus Magiſtratus Veliternus, ſemper habuit privativè quoad Pro-Gubernatorem, ad differentiam illius juriſdictionis, quæ per lapſum temporis dicitur præſcriptiva, ſeu per aliquod privilegium ſupremi Principis dativa, & utraque ſemper cenſetur acquiſita cumulativè, ſed non privativè, ut tradit *Cancer. var. reſolut. par. 2. cap. 2. n. 220. & ſeq.*, & hanc quæſtionem latè examinat *Francb. deciſ. 723. per tot. Card. de Luca de juriſdict. diſc. 108. num. 6. & ſeq.* benè verum eſt, quod à ſententia ſeu decreto dicti Magiſtratus datur recurſus ad præfatum Pro-Gubernatorem, qui eatenus in hac noſtra Civitate non eſt Prælatus, quatenus tranſactis temporibus tàm Poteſtas, quàm Judex unus in Criminalibus, & alter in Cauſis Civilibus eligebatur ab ipſiſmet Conſiliariis in Conſilio majori, dummodò Ambo eſſent Forenſes, ut non ſolum probatur ex antiquis ſtatutis, ſed in *cap. relatum* 12. *de teſtam.*, quam decretalem Alexander III. direxit explicitè *Judicibus Velletren.*, & ſuper ea eruditè plura tradit de Civitate Veliterna *Gonzalez*, ſed ob ſciſſuram eorumdem Civium nobilium in electionibus, tale jus compromiſerunt

in

in Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Cardinalem Decanum ejuſdem Civitatis Epiſcopum, qui proinde impoſterùm elegit pro ſuo libito aliquem Doctorem utriuſque Juris, qui ſuam in dicta Civitate repræſentaret Perſonam ſub nomine Locumtenentis ſeu Pro-Gubernatoris, à cujus Decretis, ſeu ſententiis appellatur ad quemdam alium Judicem deputatum, cum prima, & ſecunda inſtantia terminari debeant in dicta Civitate, in tertia autem inſtantia à ſententia ſeù decreto diffinitivo interponitur appellatio ad dictum Eminentiſſimum Cardinalem Decanum, qui hìc in Urbe ordinariam per ſuum Auditorem exercet juriſdictionem quoad Cives Veliternos in Cauſis Civilibus, & Criminalibus devolutis per appellationem; itaut idem Cardinalis Decanus dicitur habere Signaturam in ventre, & deputat hìc in Urbe alios Prælatos pro decidendis Cauſis per appellationem devolutis, eaſque etiam committit Sacræ Rotæ Auditorio, de cõſenſu Partium, tenetque ſuum particularem Notarium firmum pro compilandis proceſſibus, abſque ulla actorum tranſportatione de uno in aliud Officium, quando per Cardinales Decanos pro tempore eorum Gubernii Civitatis fuerunt hìc in Urbe mutati Notarii; benè verum eſt, quod Privilegium de non avocandis Cauſis in Urbe, niſi in tertia apud Eminentiſſimum Cardinalem Decanum, fuit conceſſum intuitu dictæ Incli-

tæ

tæ Civitatis Veliternæ,quæ ob nimiam fidelitatem erga S. Sedem Apoſtolicam, plures alias gratias, & diverſa alia Privilegia, ſeu Bullas Apoſtolicas promeruit obtinere, quarum catalogum recenſet Theolus *in Theat. hyſtor. lib. 3. cap. 3.*, & ne ei tanquam patrio Scriptori fides detrahatur, omnes prærogativas tam prophanas, quam Eccleſiaſticas hujus celebris Civitatis commemorat Abbas à Platea in volumine, cujus titulus eſt vernaculo ſermone, *Gerarchia Cardinalizia*, loquens de Cardinali Decano titulo *Città di Velletri*.

Hìc autem quæri poteſt, quid dicendum ſit de privilegio *l. unicæ Cod. quandò Imperat. inter pupill. & Vidv.* clauſo in corpore Juris, utrum dicto Privilegio cenſeatur derogatum per facultates conceſſas tam Civitati quàm Eminentiſſimo Cardinali Decano, ut cauſæ omnes in prima, & ſecunda inſtantia decidi debeant in illa, & in tertia hìc in Urbe coram eodem Card. Decano, ſeu ejus Auditore, itaut Pupillus & Vidua non habeant electionem alterius Fori. In hoc quæſito crederem eſſe negativè reſpondendum, ut non obſtantibus ſimilibus privilegiis Apoſtolicis de non avocandis cauſis, conceſſis Civitati Ferrariæ per ſan. mem. Clementem VIII. in recuperatione Status latè tradit *Fattinell. reſponſ. jur.* 21. per tot., ubi quod dictum Privilegium *l. unic.* indiget ſpeciali derogatione, nec comprehenditur ſub verbis licèt ampliſſi-

pliſſi-

pliſſimis alterius Privilegii Apoſtolici conceſſi alicui Civitati, Caſtro, vel Tribunali, ne Cauſæ omnes alio in loco, quàm in ejus foro cognoſci poſſint *Novar. de privileg. miſerab. perſon. privileg.* 103. *Carlev. de judic. lib.* 1. *tit.* 1. *diſp.* 2. *quæſt.* 6. *Theſaur. deciſ.* 177. *num.* 9. *Rota deciſ.* 513. *num.* 10. *par.* 1. *recent.*

Cùm itaque Eminentiſſimus Cardinalis Decanus non ſolùm ſit Epiſcopus dictæ Civitatis in Spiritualibus, verùm etiam Gubernator in temporalibus, ſeu verius habeat quamdam præeminentialem protectoriam, ut ſatis apertè liquet ex Bulla Pauli 3. ibi: *Devotioni, & fidelitatis integritas, qua dilecti filii Communitas, & Homines Civitatis noſtræ Veliternæ, Nos, & Romanam reverentes Eccleſiam promeretur, ut illa eis favorabiliter concedamus, per quæ eorum indemnitatibus, & indebitis vexationibus valeat ſalubriter provideri. Hinc eſt &c. niſi priùs obtenta à Protectore ipſius Civitatis pro tempore exiſtente licentia &c. Datum &c.* 1536. 17. *Kalend. Julii.* Hinc eſt, quod dicto Cardinali Decano pro tempore decedente, Civitas ipſa per quoddam jus Interregni reaſſumit Temporale gubernium, & convocato Conſilio majori, eliguntur in eo duo Viri nobiles, & unus Judex J. U. D. pariter nobilis Civis, de quibus infrà meliùs mentionem faciemus, interim aliquid de Interregno breviter dicimus.

 In-

Interregnum, ait Feſtus, *apellatur ſpatium illud temporis, quouſque in loco Regis mortui, aliùs ordinetur. Is autem, qui præerat cum Regia poteſtate, & inſignibus, Interrex dicebatur; Origo Interregum eſt antiquiſſima. Nam Romulo (de cujus obitu diverſorum ſunt ſententiæ) defuncto, ut tradit Dionyſ. lib. 3. antequam novus crearetur Rex, integrum annum interregnum fuit. Sequenti, inquit, anno poſt Romuli obitum, nemo Romæ regnavit, ad novum Interregum Magiſtratum delata adminiſtratione Reipublicæ in modum hunc Ducenti Patres conſcripti, ex quibus Senatus RegeRomulo conſtitutus erat, diſtributi in Decurias, Decem Viris ſorte committebant Urbis imperium &c. & hoc fuiſſe ſervatum etiam tempore Ciceronis lib. 7. familiar. Epiſt. appa ret ex Epiſtol. ad Trebat. ubi ſic ſcibit. Niſi antea Roma profectus eſſes, nunc eam certò relinqueres. Quis enim tot interregnis jure conſultum deſiderat &c. Interreges autem, nonniſi à Patriciis, nec alii, niſi Patricii eligebantur, vel prodebantur* hæc refert *Roſin. antiq. Roman. lib. 7. cap.* 16.

Ex dicta electione præfatorum duorum nobilium Civium cum uno Judice, ſatis deprehenditur, Civitatem Veliternam aliquo modo conſervaſſe quamdam umbram Reipublicæ. Illique duo Viri in hujuſmodi interregno (donec in Sacro Conſiſtorio fiat optio alterius Cardinalis antiquio-

quioris in Decanum,& Iſte accipiat poſſeſſionem) appellantur Rectores Civitatis atque in regimine ſunt Superiores Ordinario Magiſtratu trium Priorum; pro ſigno ſupremi Gubernii, in ipſos interim translati, tenent in manibus quemdã paruum baculum coopertum oloſerico nigro, faſcibus argenteis ornatum. Accedunt quotidiè magno cum famulatu aliorum Civium nobilium ad Palatium publicum, ſed ibi non reſident, niſi per aliquod ſpatium temporis pro audientiis. Judex verò habet eamdem juriſdictionem in Civilibus, & Criminalibus, prout erat apud Pro-Gubernatorem, ſeù Locumtenentem Eminentiſſimi Cardinalis Decani defuncti; per cujus obitum idem Pro-Gubernator ſtatim diſcedit ab ipſa Civitate Veliterna, quæ ut ſuprà dictum eſt, in omnibus gubernatur per dictos duos Rectores; dieque, noctuque diſcurrunt per Civitatem ex imperio eorumdem Rectorum aliqui Milites, vulgò *per far la Ronda*: meo autem judicio dicti duo Rectores figuram gerunt, ſicuti in Romana Reipublica poſt exactos Reges totum Gubernium reſidebat apud duos Conſules, ut ex Tacito, in hiſtor. ſeu annalib. Sed ut pro coronide antequam hanc de regimine dictæ Civitatis Veliternæ ſecundam partem Diſſertationis abſolvam, illam ſententiam animis omnium Civium inſidere vellem, cujus meminit Salluſtius *Concordia res parvæ creſcunt, di-*

ſcordia maxima dilabuntur, atque ideò neque invidia, neque ambitio aſcendendi prima loca Magiſtratus aliquibus debet taliter cordi eſſe, ut eorum animi cœcutire quodammodo videantur, proindèque hic fragmentum Hiſtoriarum Criſpi Salluſtii *lib.* 1. apponendum pro recto Civitatis regimine exiſtimavi. *At diſcordia, & avaritia, atque ambitio, & cœtera ſecundis rebus oriri ſueta mala poſt Carthaginis excidium maximè aucta ſunt; nam injuriæ validiorum, & ob eas res diſceſſio Plebis à Patribus, aliæque diſentiones domi fuere jam inde à principio neque ampliùs, quàm Regibus exactis, dum metus à Tarquinio, & bellum grave cum Etruria poſitum eſt, æquo, & modeſte jure agitatum, dein ſervili imperio Patres plebem exercere, de vita atque tergo, Regio more conſulere, agro pellere, & cæteris expertibus, ſoli in imperio agere; quibus ſævitiis & maximè fœnoris onere oppreſſa Plebs cum aſſiduis bellis tributum ſimul, & militiam toleraret, armata montem Sacrum, atque Aventinum inſedit. Tumque Tribun. pleb. & alia ſibi jura paravit &c.*

Demùm, quia comprobata fidelitas dictæ Civitatis erga S. Sedem Apoſtolicam, cui indeſinenter profitetur debitum homagium præſtare, promeruit ab eadem plura Privilegia obtinere, ut ſuprà notavimus; ſupereſt nunc iterum recenſere te-

tenorem cujuſdam *Bullæ fœlic. record. Pauli III.* proditæ de anno 1536. in qua de congruo, & de condigno ex integro dicta Civitas reponitur in antiqua poſſeſſione duorum Caſtrorum, ſeù Oppidorum cum ſuis Territoriis, quorum unum nuncupatur Larianum alterum verò Fagiola, licèt utrumque hodiè dirutum, ut ex lectura Bullæ.

Comprobata devotio dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis noſtræ Veletran. meritò promeretur. ut eos favore benivolo proſequamur, & à detrimenti incommodis quantum cum Deo poſſumus ſublevemus, ac eorum diſpendijs obuiare curemus. Sanè cum ſicut accepimus alias Communitas, & homines præfati de mandato ſibi à felicis recordationis Clemente Papa VII. prædeceſſore noſtro, qui tunc Bellum adverſus dilectum filium Aſcanium Columnam Domicellum Romanum gerebat facto Caſtrum Marini ad dictum Aſcanium ſpectans demoliti fuerint, ſeu demoliri fecerint, & devaſtaverint, & deinde cum ab eodem Aſcanio peteretur, ut ſibi per ipſos Communitatem, & homines de damnis ipſi Aſcanio occaſione demolitionis huiuſmodi illatis ſatisfieret. Univerſitas, & homines cũ præfato Aſcanio ad certam concordiam, per quam eidem Aſcanio certam pecuniarum quantitatem perſolverunt, & aliarum pecuniarum quantitatem perſolvere promiſerunt, de-

devenerint, & ut idem Aſcanius pro ſolutione huiuſmodi ſecurior redderetur totum Lariani Territorium, & partem Territorii Fayolæ in Diœceſi Tuſculanen. conſiſtentia, & ad Civitatem, & homines præfatos legitimè pertinentia obligaverint, & hypothecaverint, ac poſtmodum idem Aſcanius omnia jura, & actiones ſuper Territotorio Lariani, & parte Territorii Fayolæ hujuſmodi, occaſione præmiſſorum competentia Nobis ſponte, & ex ejus ſcientia donaverit, & ceſſerit, ac in nos tranſtulerit, & demandaverit, prout publicis deſuper confectis inſtrumentis plenius continetur: Nos, quorum eſt ſubditorum noſtrorum propulſare incommoda, attendentes demolitionem prædictam per Communitatem, & homines præfatos, de mandato dicti prædeceſſoris, ut præfertur, facta extitiſſe, ac propterea ipſorum Communitatis, & hominum indemnitati providere, necnon ſingulorum inſtrumentorum prædictorum veriores tenores præſentibus pro expreſſis habere volentes, ipſoſq. Communitatem, & homines, ac eorum ſingulos è quibuſvis excommunicationis ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſticis ſententiis cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis. Si quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore conſentes, ac omnes, & ſingulos juris,

ris, & facti defectus; ſi qui forſan intervenerint in ceſſione nobis facta hujuſmodi ſupplentes ex certis cauſis animum noſtrum moventibus, motu proprio, non ad ipſorum Communitatis, & hominum, vel aliorum pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine totum Territorium Lariani, & partem Territorii Fayolæ hujuſmodi, ut præfertur, dicto Aſcanio hypothecata, ac Nobis ceſſa, & conceſſa cum univerſis eorum juribus, & pertinentiis eiſdem Communitati, & hominibus &c: Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium cedimus, concedimus, donamus, ac in eos transferimus, & mandamus, eoſque in locum, & jus Nobis per dictum Aſcanium ceſſum, & conceſſum ponimus, ſubſtituimus, & ſurrogamus, necnon omnes, & ſingulos contractus, obligationes, & hypothecæ deſuper inter Aſcanium, ac Communitatem, & homines præfatos factos, initos, celebratos, ac manu Notarii publici ſubſcriptos caſſamus, & annullamus, ac caſſatos, annulatos exiſtere. Et ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judicis, & Commiſſarios, etiam S. R. E. Cardinales, ac cauſarum Palatii Apoſt. Auditores judecari, ſententiari, interpretari, & definiri debire: ſublata eis quavis aliter judicandi, ſententiandi, interpretandi, & deffiniendi facultate; & au-

cto-

ctoritate judicari, ſententiari, interpretari, & diffiniri debere, necnon quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto: Nono Kal. Junii Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Hac poſita Bulla, cum dicto Monti Fagiolæ ex una parte cohæreant bona Caſtri Nemoris, quod eſt Feudum Illuſtriſſimi D. Marchionis Francipani, & ex alia bona Caſtri Arcis Papæ, quod eſt Feudum, Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Comeſtabilis Columnæ, adeout cum utroque Domicello ſeu Barone Romano fortaſsè exoriri queant controverſiæ circa confines, ſuper quibus integrum tractatum exaravit *Hieronym. de monte de finibus* regendis Civitatum, Caſtrorum, & Prædiorum tam Urbanorum, quam Ruſticorum, qui in *cap.* 2. affert præliminarem concluſionem, Dominia Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Territoriorum diſtincta fuiſſe de jure Gentium *ad text. in l. ex hoc jure* ubi *Bald. Paul. Caſtren. & alii Doctores ff. de juſtit. & jur.* ſeu ut Jaſon, inibi animadvertit, juriſdictionem de jure Gentium inventam fuiſſe, ſed de jure civili diſtinctam *ad text. in l.* 2. §. *poſt originem ff. de origin. jur. & in canon. ſcriptum eſt* 6. *quæſt.* 3.

Propte-

Propterea videndum eſt, quid im portent illa verba contenta in præcitata Bulla ibi *Totum Lariani Territorium*, *&c. partem Territorii Fayolæ &c. ad Civitatem*, *& homines præfatos legitimè pertinentia &c.* & importare ordinariam juriſdictionem, nemo eſt, qui de hoc valeat dubitare; quia cum Territoriũ dictum ſit à terrendi poteſtate Magiſtratui ejus loci competente,ſecumfert propterea juriſdictionem, in univerſa loca intra illius fines comprehenſa *ad text. in l. Pupillus* §. *Territorium ff. de verbor ſignif.* ubi *Cujac.*, *Anchar. in repet. cap. poſtulaſti num.* 42. *de foro compet.* ut latè diſcurrit *Laurent. de Pinn. conſ.* 3. *per tot.* modernus *Fattinell. reſponſ. jur.* 18. *num.* 3.

Pariter eſt advertendum, Territorium in duplici ſignificatione apud Juriſtas uſurpari; primò quatenùs nempè ſignificat univerſitatem agrorum, tanquam ſubjectum, in quo juriſdictio exerceturterrendo, & ſubmovendo Perſonas, ut in d. *l. Pupillus* ſecundò cum magnificamus quodcumque ſubjectumUniverſitatis,in qua tale exercitium competit, qualitercumque, & quomodocumque circumſcripta ſit, ut ita ſumitur *in l. ultima ff. de juriſdict. omn. judic.* dictumque textum ita videtur accepiſſe *Pomer. de juriſd. lib.* 2. *par.* 1. *cap.*7. *num.* 11. & benè diſtinguendo probat *Lotter. de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 23. *num.* 13. Unde *Jaſon. in l.* 1. *ſub num.* 15. *verſ. in hoc ff. de juriſdict.*

omn. Jud. ait juriſdictionem formalem, & activè eſſe in Magiſtratu Juſdicente, & paſſivè in perſonis ſubjectis, ratione autem ſitus, & ſic ſubjecti prædicamento *ubi* dici eſſe in Territorio, quia Territorio terminetur, quæ poſtrema verba ſunt benè ponderanda, dum ipſe apertè vult Territorium ſumptum pro univerſitate agrorum deſervire tantum pro terminatione, ideſt, limitibus, & in hoc ſenſu accipiendum eſt, quod plerique pronunciarunt, omnem juriſdictionem ordinariam cohærere Territorio, ut dicebat *Bart. in l. 1. §. cum Urbem num. 9. Cod. de offic. Præfect. Urb. & Bald. in l. ultim. num. 2. Cod.* ubi, *& apud quem*, qui tradit juriſdictionem eſſe in Territorio, veluti nubecula inſidens paludi, quæ generatur per activam potentiam ſolis, prout etiam probat *Soccin. Sen. conſ. 74. num. 3. lib. 1. Gaill. lib. 2. obſerv. 62. num 9.* Sicque benè procedit illatio. Huic, ſubjectum eſt Territorium, ergo habet juriſdictionem ordinariam juxta declarationem, quam ponit *Bald. in l. à Procuratore Cod. mandat.* & latè tradit *Gaill. dicta obſervat. 62. num. 9.* ac conſequenter Magiſtratus pro tempore repræſentans totam Civitatem, cui per Pontificem fuerunt reſtituta dicta Territoria duorum Caſtrorum dirutorum habet præſumptionem juris, & intentionem fundatam in juriſdictione exercenda ambobus Territoriis dictorum Caſtrorum, ut proſequitur

Gail-

Gail: loco ſupracitato,& poteſt in illius ſequelam carceribus mancipare, per illius Familiam armatam, omnes Homines ſive Cives, ſive exteros, qui accedunt ad dicta loca Territorialia, pro incidendis arboribus exiſtentibus in ſilvis eorundem Territoriorum *Mart. de juriſdict. par. 2. cap. 29. per tot*, & ad comprobandam hanc præciſam juriſdictionem in Criminalibus affertur hic aliud Diploma Bonifacii 8.

BONIFACIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

DIlectis filiis Communi Civitatis Velletren. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem; Devotionis veſtræ Sinceritas, quam ad Nos, & Romanam Eccleſiam Vos habere novimus, promeretur, ut petitionibus veſtris, quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Veſtris itaque ſupplicationibus inclinati, ut delinquentes in Civitate Velletren, aut ejus Territorio, vel Diſtrictu, ſive de ipſa Civitate fuerint, vel etiam aliundè, prout eorum delicta, & exceſſus exegerint, poſſitis libere per Poteſtatem, ſeu Judicem, & officiales veſtros quatenus pro tempore fuerint Juſtitiam exercere auctoritate vobis præſentium indulgemus diſtrictiùs inhibentes, ne Rector Campaniæ, & Maritimæ, qui pro tempore fuerit, vel ali-

aliquis alius, qui in Civitate, & Diſtrictu prædictis quoquo modo juriſdictionem ſe habere prætenderit, de hujuſmodi delictis, & exceſſibus poſtquam de ipſis cognoſcere inceperitis, ſe ullatenùs intromittant, niſi forte ſuper hoc ad eum legitimè appellari contingat, vel Poteſtatem, ſive Judices, & Officiales veſtros prædictos in condemnando, & puniendo exiſtere negligentes. Cùm autem dictus Rector per ſe vel alium antequam ipſi Poteſtas, ſive Judices vel Officiales veſtri de prædictis, vel ſimilibus cognoſcere inceperit, ſimiliter inhibemus, ne vos, vel iidem Poteſtas aut Judices, vel Officiales veſtri de illis vos intromittere ullatenus valeatis. Nos enim nihilominus omnem proceſſum, ſi quem per ſe vel alios eundem Rectorem, vel quemvis alium, qui ſe habere prætenderit, ut prætenditur, juriſdictionem in Civitate ac Territorio memoratis, aut etiam per vos, vel per Poteſtatem ſive Judices, vel Officiales prædictos contrà hujuſmodi noſtram inhibitionem haberi contigerit irritum decernimus, & inanem, ac nullius exiſtere firmitatis, indulgemus inſuper vobis auctoritate prædicta, ut hujuſmodi delinquentes, vel quoſcumque, qui ad Civitatem veſtram confugerint, aut permanſerint in eadem ad mandatum dicti Rectoris, vel cujuſvis alterius, qui, ut prætenditur in eiſdem Civitate, ac Diſtrictu juriſdictionem prætenderit ſe habere capere, aut capti-

captivos mittere ad eoſdem, nullatenus teneamini neque ad id per ipſos, vel de mandato eorum cogi nullatenus valeatis. Nulli ergo omninò &c. Datum Lateranen. XVII. Kalen. Februarii Pontificatus noſtri anno quarto. Jo. de Anag.

PARS TERTIA.

DIximus ſupra nonnullos officiales electos ab Imbuſſulatoribus eſſe annales, Priores vero repræſentantes actualem Magiſtratum, mutari in ſingulo trimeſtri, prævia tamen extractione ex Buſſula ad ſonum Tubæ. Quia veró interdùm, quidam habent aliquam paſſivam exceptionem obſtativam adipiſcendi locum in Magiſtratu, videndum proindè eſt, cui nàm competat proponere exceptiones legales contra Imbuſſulatos, & ex Buſſula extractos ad formam Bullæ Clementinæ bon: regim: & non licere alteri quàm Syndico, ſeù Promotori Fiſcali, ut firmat *Cobell. ad dictam Bull. bon: regimin. cap. 26. num. 16.* quamvis in principio examinet verba *cuilibet de Populo*, ſicque malè faciunt cæteri Cives porrigentes Tribunalibus ſupremis ſupplices libellos, abſque ullo nomine ad obiiciendum crimina, & exceptiones perſonis jam electis, nedùm quia hujuſmodi exceptiones opponi debent tempore habili, ſcilicet electionis per tex. apertum *in l. penult. §. final. ff.*

de

de Decurion: ibi *non admitti contradicere volentem, quod non rectè quis ſit creatus Decurio, cum in initio contradicere debuerit*, & firmat *Franch. deciſ.* 609. *per tot. ibique Adden.* Verùm etiam quia exindè acquirunt nomen Delatorum ſecretorum vulgò *Spioni*, qui etſi neceſſarii videantur prò recta ipſius Reipublicæ adminiſtratione, ſicùt in Romana Republica curioſi dicebantur, teſte *Alex.ab Alex.genial. dier.lib.* 4. *cap.*22. *Tholoſan. in Synatax.jur. univ. lib.* 33. *cap* 4. & certa premia Delatoribus conſtituta fuiſſe à lege Papia, refert *Sveton. in Nerone cap.*10. *Alex.ab Alex.dicto cap.* 22. *&* *notat. Cobell. ad Bull. bon. Regim. cap.* 29. *num.* 13.

Succeſſu tamen temporum, cum hoc genùs hominum abuteretur concesſâ ſibi licentiâ, ac poteſtate, & ſæpe ob leve, vel ſimulatum, aut confictum crimen, irâ vel odio aut pretio, Hominum bonorum mores, vitam, & patrimonium in diſcrimen adducerent, ſublatum fuit omninò à Republica; Quinimò Tiberius ipſe, qui multum antea illis faverat, omnes, qui inter delatores præcipui erant, uno die occidi juſſit: Titus omnes ab Urbe expulit: Aurelianus alioquin ſeverus, Delatores ingenti ſeveritate proſequutus eſt: Trajanus tandem Cæſar, omnes in navibus abſque remis, & velis, ventorum ludibrio, & Fortunæ Maris commiſit, ut proſequitur eruditè *Cobell. ad Bull.*

Bull. bon. regim. dicto cap. 26. num. 15. & ſeq. ubi, quod tales homines delatores ſunt infames, & ab omnibus abhorrendi, ſignanter, quando velatâ facie, & ſecretò quis denunciat, & ſupponit aliquam exceptionem contra alium Civem non ſubſiſtentem nec in jure, nec in facto, in quibus terminis procedit dictum Philippi Imperatoris, qui Delatores execrabiles appellavit ad *tex. in l. ex varia Cod. de Delator. lib. 10.* ubi *gloſs.*

Ad hæc non prætereunda cenſeo, quæ ſcribit *Capiblanc. de Baron. pan. 1. pragmat. 11. num. 249.* Civem ſcilicet detecta facie ſuſcipientem defenſionem jurium ſuæ Univerſitatis, & coram Superiore denunciantem Uſurpatores bonorum Communitatis dignum eſſe non ſolum appellari Patrem Patriæ, & honorari, *per tex. in l. 3. Cod. de his qui ſpont. publ. mun. ſub. lib. 10.* ibi *eum pro ſua liberalitate Patrem vocari mereatur*, taleque nomen acquiſivit Cicero in Republica Romana ob orationem habitam adversùs Catelinam; Sed etiam, ut talia geſta Zelantis Civis, qui detecta facie accuſat, perpetuæ aliorum Civium memoriæ commendentur; Ipſumque, ac ejus Succeſſores tanquam fideles rerum publicarum Conſervatores, in honoribus, & prærogativis præferendos eſſe. Et Civis, qui aſſumit munus defendendi Patriam, ne ſuo ſumptu laboret, & militet, cogere poteſt Univerſitatem de jure ad ſub-

ſubminiſtrandas litis expenſas; nam quod commune eſt, juſtum, ac congruum reputatur, ut ab omnibus approbetur, & communibus expenſis ſubſtineatur. *Bald. in l. ab omibus §. ſi Titio ff. de legat.* 1. *Cobell. ad Bull. bon. regim. dicto cap.* 26. *in fine*.

Redeundo modò ad noſtrum inſtitutum, Aliqui Cives jam functi officio dicti Magiſtratus, procurant confirmationem in Officiis; videndum proindè eſt, an hocde jure ſit permittendum: in quo articulo obſervandum venit, quod in gerendis honoribus non promiſcua facultas eſt, ſed ordo certus adhibetur. Nam neque priùs majorem Magiſtratum quiſque, niſi minorem ſuſceperit, gerere poteſt, neque omni ætati permittitur, neque honorum continuatio datur ad *text. in l. ut gradatim* 11. *in princip. l. honor municipalis §. gerendorum ff. de muneribus, & honor.*

Et quoad continuandos magiſtratus, de quibus modò agitur, ratio eſſe videtur, ne ordinatione; frequentia, & continuatione curæ, fiat per quamdam machinationem aliquibus infinita gubernatio *§. fin. verſ. ſi verò nondum biennium A: :h de deſenſ. Civit. ubi gloſſ.* in verbo *frequentia* explicat de bino actu *l. nemo deinceps* 3. *in fin. & ibi gloſſ. verbo conſuetudini Cod. de Epiſc. aud.* & cum publicæ diſciplinæ ſemel geſta ſufficiant, ſi quis jam promotorum, denuò ad munus etiam per *ſacras*

lit-

litteras irrepſerit, & cætera officia repetere auſus fuerit, in legem ambitus incidit, & pœnam legitimam ſubit, de qua in *l.* 1. *Cod. ad leg. jul. de ambit. gloſ. in l. bonor* §. *gerendorum* verbo *honores ff. de muner.* & *honor.* Et paſſim atiquitùs interdicebatur, nè quis honorem Magiſtratus, aut Officium continuet, vel repetat *l. æſtimationem* 15. *in fine ff. de muner.* & *honor.* ubi defenſionem Reipublicæ nemo amplius, quam ſemel cogitur ſuſcipere, niſi id fieri neceſſitas poſtulet *l. libertis* 17. §. *præſcriptio*, & *l. Divus* 18. *ff. ad municipal. l.* 2. *Cod. de muner.* & *honor. non continuan. lib.* 10. ubi etiam ponuntur intervalla temporum *l. nemo in provinciis* 5. *Cod. de Aſſeſſor. Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 184. *num.* 3. & 4.

Et olim apud Romanos ex lege, non licebat eundem Magiſtratum, intra decem annos capere *Liv. lib.* 7. & 10. *ab Vrb. condit. Flor. in Epitom. lib.* 50. & 56. *Cicer. lib.* 3. *de legi* 6. *Appian. lib.* 1. *Bell. civil.* & multis exemplis comprobat *Tiraquell' in l. ſi unquam in præfat. num.* 24. *Cod. de revoc. donat.* ubi quoque de legibus Thuriorum, & Lacedemoniorum, quoad iſta munerum intervalla, & officia publica non continuanda; ſeu confirmanda, & Demoſthenes ſcribit; lege ſancitum fuiſſe Athenis, nè cui iterum Syndicum fieri, crearique à Populo liceret, ne id munus ob publicam utilitatem inventum, in quæſtum com-

modumque privatum verteretur: Quod etiam Tiberio objectum ſcribit *Tacit. annal. lib.* 1. *in fin.* dum inquit, *Id quoque morum Tiberio fuit, continuare imperia, ac pleroſque ad finem vitæ in ejuſdem exercitibus, aut juriſdictionibus habere. cauſæ variæ traduntur. Alii tædio novæ curæ ſemel placita pro æternis ſervaviſſe. Quidam invidia, ne plurrs fruerentur, ſunt qui exiſtiment, ut callidum ejus ingenium, ita anxium judicium, neque enim eminentes virtutes ſectabatur, & rurſus vitia oderat, ex optimis periculum ſibi, à peſſimis dedecus publicum metuebat; qua hæſitatione poſtremò evectus eſt, ut mandaverit quibuſdam provincias, quos egredi Urbe non erat paſſurus.*

Quemadmodum etiam erant leges annariæ, quæ vertebantur circa Magiſtratuum ſuſceptorum durationem; Julius namque Cæſar lege annariâ ſanxit, ne Prætoriæ Provinciæ ultra annum, nevè Conſulares plus biennio obtinerentur. *Plutarc. in ejus vita, & explicat Marcell. Donat. ad Æli. Lamprid. in Alexandro Severo*, ubi etiam ex *Livio*, *Plutarc. Polib. & Aliis*, ſubdit, inter leges annales eſſe illam, per quam nemini liceret Magiſtratum Urbanum petere, niſi per decem annos militaſſet, nè duos Magiſtratus uno anno gereret, nè cui petere Præturam liceret, qui Queſtor non fuiſſet, neque Conſulatum, qui Prætor non extitiſſet, neceſſarioque inter Curules Magiſtratus

bien-

biennium interſtitii adfuiſſet, cum etiam illi petendi eſſent ordine, quaſi per honorum gradus, documentum ſui dare tenerentur.

His potiùs ad erudiendũ lectorem explicatis: eſt quoque certum iſtam Officiorum continuationem ſeu confirmationem eſſe interdictam, ut unus tantum de Univerſitate valeat impedire, nè quis eundem Magiſtratum continuet, quamvis cæteri omnes conſentiant. Id enim fieri non poteſt, niſi cuncta Civitas eum elegerit nemine reluctante, prout eſt *text. ſingularis in §. ultim. Auth. de defenſor. Civit. Bart. in l. Omnes populi quæſt. 2. in princ. ff. de juſt. & jur. & l. quod major poſt med. ff. ad municip.* Cæterùm eſt animadvertendum, quod contradictio debét fieri ab uno reluctante de tempore confirmationis, ut deciſum fuit per *Francb. deciſ. 619. per tot.* & ibi notat *Ricc. in addit.*

Rationes autem excludentes confirmationem promptæ ſunt, quia primò vexarentur ſubditi ex perpetuo Magiſtratuum dominio. Præterea in longum daretur emendatio malè geſtorum. Ulterius eſt præſumptio prædæ contra eum, qui vult perſiſtere in Magiſtratu per confirmationem officii, quod immediatè finivit *Bald. conſ. 316. l. 63.* & notat *Carol. Ant. de Luca ad d. ctam deciſ. Franc. 609. num. 1.* ubi adducit per extenſum textum in *l. neminem Cod. de ſuſcept. lib. 10.* ibi *ſi intra*

tempus, quo ſit ſtatutum, officio functus eſt, non debet iterum ad idem munus adſtringi, nam ſi benè egit non eſt juſtitia ipſum ad gerendum ulterius cogi; ſi autem malè non eſt prudentia ipſum ad tale officium iteratò admittere, debet enim de Officio per eum geſto juſtam reddere rationem, cum aliis recollectis per *Maſtrill.de Magiſtrat.lib.*1.*cap.* 23. *num.* 1.

Verùm quia in peragenda confirmatione Officialis, debet concurrere tota Civitas, ſaltem repræſentata per Conſilium publicum nemine reluctante. Hinc dubitari poteſt, quod non ſufficiat authoritas Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Card. Decani Gubernatoris, ſeu potius Protectoris Civitatis Veliternæ, per cujus ſimplices Epiſtolas regiſtratas in Cancellaria Priorali multi, tranſactis temporibus perperam obtinuerunt confirmationem Officiorum, ſeu Magiſtratuum, & ratio eſt, quia dictus Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Cardinalis Decanus nullam habet poteſtatem à Conſilio generali, ſicqe hanc confirmationem tribuere non poteſt, repugnante jure communi *Franch. dicta deciſ.* 609. *in fin. ibique Ricc. & Carol. Anton. de Luc.* obſervat, quod in Regno Neapolitano neque Barones poſſunt dare ſimiles confirmationes in Officiis publicis, hocque procedit ſive verſemur in Officialibus Juſtitiæ habentibus juriſdictionem ſive in Adminiſtratoribus Univerſitatis:

Cæte-

Cæterùm licèt ſit prohibita de jure confirmatio in Officiis, & dumtaxat in aliquibus caſibus facienda, accedente conſenſu omnium de Conſilio generali, nemine diſcrepante. Attamen interdùm valet conſuetudo faciendi confirmationem, & prorogandi Officia, ſignanter in illis Civibus nobilibus, quorum fides, prudentia, & rerum geſtarum experientia probata fuit, ut firmat *Gratian. diſcept. foren. cap.* 184. *num.* 28.

Et cum Reipublicæ gubernacula ſicut navis, credenda ſint tantum perſonis idoneis, ad *text. in d. l. ut gradatim* 11. *ff. de muner. & bonor.* ſi in aliqua Civitate non invenirentur tales, aut eſſent pauci illi, qui reputentur idonei, magis deberet fieri ſeu permitti continuatio Officiorum aùt Magiſtratuum. Itaut, qui jam munere functi ſunt, quamvis eſſent ab illis iterum obeundis immunes, tamen poſſent compelli denuò eodem Officio ſeu Magiſtratu fungi, urgente cauſa defectus Virorum idoneorum *ad text. in dict. l. bonor.* 13. §. *final.* ubi *gloſ.* in verbo *creentur ff. de mun. & bonor. gloſſ. in l. liceat* 12. verbo *ſæpius Cod. de aſſeſſ.* & proſequitur *Gratian. dict. cap.* 184. *num.* 48. *Natt. conſ.* 58. *num.* 4. *lib.* 1.

Succedit pro coronide hujus tertiæ Partis noſtræ Conſultationis Hiſtorico-Legalis, an Officialis confirmatus antequam iterum exerceat Officium, ſeu Magiſtratum, debeat ſtare ſyndicatui,

&

& affirmativam oppinionem latè probat *Cancer. var.reſolut.lib.3.cap.12.num.140.Fontanell.deciſ. Catalon.* 157. *per tot.* ubi plures expendit rationes, ſed quidquid ſit de ſtricto juris rigore, crederem attenta conſuetudine dictum ſyndicatum non eſſe practicandum, niſi finito Officio, ſeu Magiſtratu, in quo Quis fuit confirmatus, & ita ſervari in Regno tradit *Rovit. in pragmat.* 1. *de ſyndicat. Offic. num.*29. atque praticari dicit *Maſtrill. de Magiſtrat. cap.* 23. *num.* 75. & obſervat *Carol. Ant. de Luc. ad Franch. dicta deciſ.* 609. *num.* 9. ubi notat, quod in caſu confirmationis, licèt Officialis non teneatur ſtare ſyndicatui, tamen tenetur præſtare novam cautionem ſeu dare novum Fidejuſſorem de parendo ſyndicatui, aliàs enim primus Fidejuſſor non teneretur pro tempore prorogato. Et ita ſubmittendo hæc omnia mea ſcripta, meliori Eruditorum Hominum Judicio, nedum politioris litteraturæ, ſed etiam facultatis legalis, concludo, ac finem facio &c.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google